



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Lerna Malorum Omnium; Sive Gravitas, Et Damna Peccati Mortalis**

**Arias, Francisco**

**Monachii, 1648**

Cap. XLII. Per peccatum mortale suffragia, & spiritalia Christi, Ecclesieque bona, quæ viuis huius membris communicantur, amitti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46756)

*Per peccatum mortale suffragia, & spiri-  
tuala Christi, Ecclesiæq; bona, qua vi-  
uis huius membri communican-  
tur, amitti.*

## C A P. XLII.

**E**X incomparabilibus, quæ Deus in  
Ecclesiam suam contulit beneficijs  
vnum est, quòd in eâ sit *Communio  
Sanctorum*, quæ est societas, & com-  
municatio virtutum, bonorum ope-  
rum, meritorumq; inter ipsos. Quem-  
admodum in vno corpore humano,  
quia membra omnia inter sese, & cum  
capite vnita sunt, habentque omnia  
vnam animam, communicatio capituli  
est cum omnibus membris, in quæ vir-  
tutem, efficaciamque suam influit, &  
quæ mediante ratione, ac sensibus in  
ipso residentibus gubernat, & vnus  
membrum communicat alteri suam  
virtutem, spiritusque vitales, & hu-  
mores vitæ necessarios, seque inuicem  
defendunt, ac iuuant: *n.* Sic in Eccle-  
siâ,

*a Ad Rom. 12. 4. Ad Eph. 4. 4.*

fiã, quã, vt S. Paulus ait, vnum corpus mysticum, spirituale, & diuinum est, non solùm caput, quod est Christus, suam virtutem, suam gratiam, sua dona, sua merita, suamque satisfactionem omnibus fidelibus, qui sunt membra huius corporis, & membra ipsius, communicat; sed etiam vnum membrum communicat alteri suam virtutem, suam efficaciam, sua bona opera, suas orationes, sua merita, sua ministeria, & officia sua; adeò vt propter bona, quę vnus facit, opera ceteri, in quacunque mundi parte sint, defendantur contra Dæmones, carnisque, ac mundi tentationes, & victoriam ex illis referant, liberentur à peccatis, in gratiã conferentur, in eãq; crescant, pro peccatis suis satisfaciant, & pro ipsdem illis operibus præmium accidentalis gloriæ recipiant. Et specialiter has utilitates, atque hos, multosque alios fructus percipiunt ex Missis, ex Sacrificijs, ex Sacramentis, & ex Indulgentijs, quas Ecclesia vniuersis fi-

delibus per suos ministros communi-  
cat. De hac fidelium communicatio-  
ne dixit Dauid : *a Particeps ego sum,*  
Domine, bonorum *omnium timentium,*  
ac reuerentium *te instar filiorum.* *b*  
In quæ verba S. Ambrosius, *sicut mem-*  
*brum,* inquit, *particeps est totius corporis.*  
sic ego particeps sum virtutis omnium  
timentium te, eò quod sim ijs *coniun-*  
*ctus,* sicut membrum membro.

Hoc est altissimum illud beneficiũ,  
quapropter S. Paulus gratias Deo agit,  
dicens : *c Gratias agimus Deo Patri,* qui  
idoneos nos in lumine fidei, gratiæque  
diuinæ *fecit ad consequendã partem,*  
quæ ad nos spectat, *sortis Sanctorum;*  
quæ sunt bona, quæ Deus per illos no-  
bis communicat, & hæreditas beatitu-  
dinis, quæ in cælo datur omnibus San-  
ctis. Hæc Sanctorum communio est  
illa societas, quam nos fideles habe-  
mus cum beatissimã Trinitate, cum A-  
postolis IESV Christi, & cum omnibus  
iustis,

*a Ps. 118. 63. b D. Ambr. Serm. 8. in*  
*Ps. 118. c Ad Col. 1. 12.*

iustis; de quâ S. Ioannes dicit: *a Quod*  
*audiuimus, & vidimus de Verbo æterno,*  
*annunciamus vobis, ut societatem habea-*  
*tis nobiscum in ijsdem bonis: & societas*  
*nostrum omnium est cum Patre, & cum*  
*Filio ( & consequenter cum Spiritu*  
*Sancto ) communicantibus nobis in*  
*ijsdem bonis, & in eadem gloriâ cum*  
*beatissimâ Trinitate. Hæc communio*  
*Sanctorum licet ad omnes fideles, qui*  
*sunt Ecclesiæ membra, nec ab eâ per*  
*aliquem errorem contra fidem, vel per*  
*aliquam excommunicationem separa-*  
*ti sunt, pertineat, tamen longè alio*  
*modo pertinet ad fideles, qui existunt*  
*in peccato mortali, & sunt mortua Ec-*  
*clesiæ membra, cum eâque per solam*  
*fidem mortuam vnita, quàm ad fide-*  
*les, qui sunt iusti homines, & membra*  
*viua Ecclesiæ, & per fidem, charita-*  
*temque vnita. Fidelibus in peccato*  
*mortali existentibus communicantur*  
*merita Christi, bonaque omnium San-*  
*ctorum opera, ad danda eis auxilia,*

X 3

qui-

a 1. Ioan, 1. 3.

quibus agant pœnitentiã, & per hanc de peccato mortali exeant. Et quamdiu in peccato manere volunt, hæc auxilia non efficacia sunt, sed tantum sufficientia. At iustis modo excellentiore, maiorisq̃ue efficacix, & ad plures, altiores, gloriosioresq̃ue effectus communicantur. Sic notat Catechismus factus ex decreto Concilij Tridentini, dicens: *a Tot tantisq̃ bonis, quæ in Ecclesiã virtute communionis Sanctorum communicantur, illi Fideles fruuntur, qui in charitate vitam Christianam degunt, iustisq̃, & chari Deo sunt. Membra verò mortua, nimirum homines sceleribus obstricti, & à Dei gratiã alienati, hoc quidem bono non priuantur, ut huius corporis membra esse desinant, sed cum sint mortua, fructum spiritualem, qui ad iustos peruenit, non percipiunt, tametsi, cum in Ecclesiã sint, ad amissam gratiam, vitamq̃ recuperandam à iustis adiuuantur. Videamus in specie, quænam hæc bona sint, quæ communicantur*

a Catech. art. Sanct. comm.

tur iustis, & peccatoribus denegantur. Communicatur iustis sanctissimum Sacramentum Corporis Christi cum omnibus suis effectibus, & diuinissimis fructibus, quod peccatoribus penitus negatur. Communicantur iustis omnia reliqua Sacramenta, quæ efficaciter dant, & augent gratiam; quæ negantur peccatoribus, qui voluntatem peccandi retinent, & solum conceduntur iustis, & peccatoribus poenitentibus, vitæque emendandæ propositum habentibus. Communicantur iustis merita Christi, & bona opera, orationesque omnium Sanctorum, ut conferuetur, augeaturque in illis gratia per omnes virtutes infusas, ac dona Spiritûs Sancti, utque faciant meritoria, & Deo pergrata opera, & homines in charitate perfecti euadant. Estque hic effectus homines perfectos faciendi tam excellens, ut vnus ex illis plus valeat in Ecclesiâ, quàm multi iusti ordinariæ virtutis. Cæterùm hoc augmentum gratiæ, perfectionisque

virtutum operantur merita Christi in iustis per viam iustitiæ; cum enim Christus sit noster Saluator, & nostrum caput, & infinitæ virtutis, meretur ex iustitiâ, suorum meritorum applicationem: At bona opera iustorum non merentur hoc augmentum per viam iustitiæ; quia vnus iustus non potest ex iustitiâ, & (vt dicitur) *de condigno* mereri pro alio donum aliquod, aut gratiam, sed solum pro seipso: impetrant tamen, & obtinent à Deo fauores, & auxilia pro illis omnibus, qui sunt in charitate, eaque merentur aliquo modo per meritum, quod *de congruo* dicimus, quod innititur non iustitiæ, sed misericordiæ, ac liberalitati Dei: atque his auxilijs iusti crescunt in gratiâ, & in omni virtute, & perfectionem Christianam acquirunt. Et hæc tanta, tamque mirabilis fauorum communicatio, quæ iustorum propria est, negatur peccatoribus, quia non sunt eius capaces. Communicatur quoque iustis vi huius communionis Sanctorum, satisfactorum, dimissionum, iusto peccatorum testamento, Ecclesiarum, iustis eius, has Imperari tali, eo tenetur, lor, & æterni, guis Per iustis xilia ad p ad p uent a



tisfactio pœnarum debitarum in Pur-  
gatorio pro peccatis mortalibus iam  
dimissis; quia potest vnus iustus alteri  
iusto applicare hanc satisfactionem; &  
peccatoribus eam applicare non po-  
test. *a* Eodemque modo vi Indulgen-  
tiarum à Summo Pontifice, & Prælati-  
bus Ecclesiæ concessarum, communicatur  
iustis satisfactio Christi, & Sanctorum  
eius, quæ est in thesauro Ecclesiæ; &  
has Indulgentias non possunt illi lu-  
crari pro se, qui sunt in peccato mor-  
tali, sed ij duntaxat, qui sunt in gratiâ  
eo tempore, quo Indulgentia obtine-  
tur. Communicatur etiam iustis va-  
lor, & efficacia Sacrificij Missæ, in quâ  
æterno Patri offertur corpus, & san-  
guis Christi pro viuis, & pro mortuis.  
Per hoc sacrificium communicantur  
iustis valdè abundantes fauores, & au-  
xilia, quibus ad operandum sanctiùs,  
ad pugnandum fortiùs contra vitia, &  
ad puriùs à peccatis viuendum mo-  
uentur, Ijsdem auxilijs liberantur non

X 5 solùm

*a D.Th. in 4.d.20. Sot. 4.d.20. q.4. a.3.*

solum à consensu in peccatum mortale, sed etiam, quantum in hac vitâ iustis possibile est, à consentiendo venialibus peccatis. Item communicatur iustis per hoc sacrificium satisfactio peccatorum iam dimissorum quoad culpam; qui admodum proprius huius sacrificij effectus est. Prodest quoque hoc sacrificium iustis impetrando à Deo, vt ipsos liberet à malis, ac pœnis temporalibus, quæ eorum animabus nocituræ essent; ijsque concedat temporalia bona, quæ ad salutem eis conducant. Totus hic bonorum thesaurus, qui ex communione Sanctorum provenit, per peccatum mortale amittitur; quamdiu enim peccator de eo pœnitentiam non agit, non potest Sacramenta percipere, nec potest accipere augmentum gratiæ, & quæ hanc comitantur, virtutum infusarum, quia istis priuatus est: nec item potest accipere auxilia ad faciendâ opera meritoria, quia meriti est incapax: Nec potest satisfacere pro peccatis

eatis  
 dulg  
 de p  
 fruct  
 uim  
 fici  
 mun  
 ris C  
 busq  
 effica  
 enim  
 quâ  
 stud  
 alicu  
 quia  
 que  
 & m  
 qua  
 deb  
 que  
 & v  
 seru  
 te, a  
 & c  
 pœ

eat per opera iustorum, nec per Indulgentias Ecclesiæ: Nec participat de principalibus, & excellentissimis fructibus Sacrificij Missæ, quos narravimus. Et quamvis habeat auxilia sufficientia ad se conuertendum, communicata à misericordiâ Dei, & meritis Christi, & Missæ Sacrificio, operibusque Sanctorum, non tamen habet efficacia ad id faciendum auxilia; hæc enim impediuntur à malâ voluntate, quâ vult esse in peccato mortali, nec studet mutare vitam. Vehementer alicui dolet iactura rei temporalis, quia conseruat eâ vitam corporis, seque liberat à malis famis, ac nuditatis, & multum laborat, vt illam recuperet: quantum ergo homini fideli dolere debet iactura tot bonorum, fauorumque spiritualium, tam necessariorum, & vtilium ad consequendam, & conseruandam animæ vitam, seque à morte, ac damnatione æternâ liberandum? & quantum laborare debet, vt per pœnitentiam recuperet gratiam amif-

fam, & per hanc participet de his omnibus bonis, quæ iustis communicantur? cum præsertim ad hoc faciendum non sit opus labore, nec operâ multi temporis, sed vnus horæ, adeoque vnus momenti, quo se potest ex toto corde ad Deum conuertere. Neque molestia, nec labor valdè magnus, nec admodum difficilis requiritur, sed tam facilis, ac leuis, quàm est pœnitere de suis omnibus peccatis cum eorû contritione, vel confiteri illa cum dolore, & proposito non ampliùs ea committendi ob vllam rem huius mundi; hoc enim solum Deus exigit à peccatore, vt possit recuperare gratiã perditam, & accepta damna resarcire; quemadmodum per Ezechielem significauit, dicens: *a Conuertimini ad me, & pœnitentiam de vestris iniquitatibus agite; & non nocebunt vobis, nec erunt ampliùs in vestram damnationẽ, sed per pœnitentiam bona amissa recuperabitis; nolo enim mortem impij, sed vt vitã gratiæ, æternæque gloriæ viuat.*

*a. Ezech. 18. 23. & 33. 11.*

*Pet.*